

antevertunt, quales reperiuntur in infantibus & amentibus; videatur ejus præfatio ad librum *de Cive*. Ego verò cum Philosophis (quantum scio) omnibus naturam hominis è Ratione potiùs metiendam existimo, adeoque voluntatem se extendere posse ad ea quæ Ratio convenientia cuilibet naturæ esse dictaverit; siquidem affectus ejusmodi irrationales perturbationes potiùs animi (adeoque præternaturales) dicendi sunt; quod & ipse Hobbius etiam, post editum *de Cive* librum, fassus est in libro *de Homine cap. 12. §. 1. Fatemur etiam nos fieri posse forte per malum liberi Arbitrii usum, ut homo quispiam angusti (suo vitio) pectoris, nihil præter se consideret, adeoque nihil fere velit, nisi quæ sibi judicat commoda; Verùm in nullo unquam homine præter unum Hobbium talis voluntatis signa observare potui. Alii certè generosioris sunt animi, qui non tantum id bonum existimant quod sibi bonum est, verùm quicquid facit ad conservationem aut perfectionem, ordinem & decorem humani generis, vel etiam totius quod cogitare possumus universi, id demum bonum existimant, id volunt ac cupiunt, id futurum sperant, eoque præsentis gaudent. Nec quicquam video quod impedire possit, quo minus quod cuivis Naturæ convenire posse judico, id illi fieri velle possim; immò & quantum in me est anniti ut fiat. Id autem omne intra fines Objecti adæquati facultatis cujuslibet (adeoque & voluntatis) circa quod illa facultas possit exerceri. Huc pertinet quod præcipit Aristoteles *de Legislatore Pol. 7. c. 2. ad finem. τὸ καὶ νομοθετῆς τὸ ἀσπιδαίης ὅτι τὸ θεάσασθαι πόλιν, καὶ γὰρ ἀνθρώπων, καὶ πάντων**

συν